

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Communitas siue congregacio b  
cum fontibus proximo et primo

Dicit enim Hieronymus,  
in Epistola *ad Rusticum Monachum*:  
*In solitudine cito subrepat superbia:*

in solitudine cito subrepat superbia  
et, si parumper ieiunauerit hominemque non uiderit,  
putat se alicuius esse momenti oblitusque sui,  
unde quo uenerit, intus corpore lingua foris uagatur.  
iudicat contra apostoli uoluntatem alienos seruos;  
quod gula poposcerit, porrigit manus;  
dormit, quantum uoluerit, facit, quod uoluerit;  
nullum ueretur, omnes se inferiores putat crebriusque  
in urbibus quam in cellula est et inter fratres simulat  
uerecundiam, qui platearum turbis conliduntur.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*, 125.9.2 (CSEL  
56, I. Hilberg ed., p.128, ll.4-11).

In solitudine cito surrepat superbia;

dormit quando uoluerit, facit quod uoluerit.

*dormit quando uoluerit, facit quod uoluerit.*

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Communitas siue congregacio b  
cum fontibus proximo et primo

Tu autem qui in communitate uiuis,

non facies quod uis, comedes quod iuberis,

subiciaris cui non uis,

seruias fratribus,

prepositum monasterii timeas ut Deum,  
diligas ut parentem.

Ieronymus in epistola ad Rusticum monachum.

E contrario

autem ipse docet eum qui in societate vivit, dicens:

Non facias quod vis: comedas quod iuberis,  
habeas quantum acceperis,

subiiciaris cui non vis,

seruias fratribus,

prepositum monasterii timeas ut Deum,  
diligas ut parentem.

Thomas de Aquino, *Summa theologiae, Secunda  
secundae*, 188.8.3 (P. Caramello ed., p.847).

et ne plura replicando fastidium legenti faciam,  
per haec omnia ad illud tendit oratio,  
ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum,  
sed uiuere debere in monasterio  
sub unius disciplina patris consortioque multorum,  
ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam,  
hic te silentium, ille doceat mansuetudinem,  
non facias, quod uis, comedas, quod iuberis,  
habeas, quantum acceperis, uestiaris,  
quod acceperis, operis tui pensa persoluas,  
subiiciaris, cui non uis,  
lassus ad stratum uenias ambulansque dormites,  
necdum expleto somno surgere conpellaris,  
dicas psalmum in ordine tuo – in quo non dulcedo  
uocis sed mentis affectus quaeritur scribente apostolo:  
psallam spiritu, psallam et mente et:  
cantantes in cordibus uestris;  
legerat enim esse praeceptum: psallite sapienter –,  
seruias fratribus,  
hospitum laues pedes, passus iniuriam taceas,  
prepositum monasterii timeas ut dominum,  
diligas ut parentem,  
credas tibi salutare, quidquid ille praeceperit,  
nec de maioris sententia iudices,  
cuius officii est oboedire et implere, quae iussa sunt,  
dicente Moyse: audi, Israhel, et tace.

Hieronymus Stridonensis, *Epistulae*, 125.15.2 (CSEL  
56, I. Hilberg ed., pp.133-4, ll.18-21, 1-14).